



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Hilaria, siue Evphronae  
Pantheae**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1581**

**VD16 R 1422**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12386**







L. VI  
9

Th. 5859.











NICOLAI  
REVSNERI  
IVRISCONSULTI

Hilaria,

siue

EUPHRONÆ PANTHEÆ.

Quæ sunt redditæ sa-  
nitatis veluti Sosfra quadam,  
& hostimenta.




LAVINGÆ

ANNO M. D. XXCI.

Mense Quintili.





N

Ad

C

Can

Loich

Et

Cur eg

Cur

Sim m

Pa

Musar

Qu

Si mea

Po

Obses

Pi



*Si autem fuerit sedit in curia Musae  
dissimulans hic inter in Leonina via*

NICOLAI REVS-  
NERI IVRIS-  
CONSULTI

Hilaria,

siue

EUPHRONÆ PANTHÆ.

I.

Ad D. Erasmum Neustete-  
rum, cognomento Sturmerum

EQ. FR.

**C**ERTatim te quando colunt, celebrantq; poetæ  
Carminibus, Phœbi splendor, ERASME, suis:  
Lotichius pridem, nunc Posthius, atq; Melissus:  
Et si quos vates Teutonis ora probat:

Cur ego dissimulem tuus esse diutiùs! aut cur

Cultor amicitiae sim minùs ipse tuæ?

Sim minùs vt dignus: tamen es tu dignus, ERAS-

Patronus sis qui semper (vt opto) meus. (ME:

Musarum quia castra sequor: quem Posthius ipse

Quemque Melissus amat, cultor vterque tuus.

Si mea quid veri mens augurat, ipse fauebis:

Posthius hic sponsor, præsque Melissus erit.

Obses at interea breuis iste sit, oro, libellus:

Pignore me redimam dum meliore tibi.

A 2 Ad



II.  
Ad Lectorem.

*Si nimis hæc forsan, Lector, tibi multa videntur  
Alternis finem carmina lecta dabunt.*

III.  
In Euphronas Panthea

*Panthea Diua Salus: at nox est Euphrona  
Qui negat, is sanæ nil, puto, mentis habet  
Que Nox, quæq; Salus mihi carmina Diua  
An non hæc par est nomen habere summi*

IV.  
Ad Diuam Salutem.

Parodia Horatiana.

*Quem tu, Diua SALVS, semel  
Languentem placido lumine videris:  
Non hunc mors quatiæ fera,  
Aut morbus pavidum: non dolor improbus  
Percellet rigido metu  
Afflictum: neque fors hunc variabilis  
Mentis robore præditum,  
Quamuis innocuum perpetuò premat:  
Statu deijciet suo.  
Sed Pax incolumem, lætaque Sanitas,  
Et præsens animi Quies  
Fingent Dijs subito cœlitibus parem.*



Aegro corpore languidum  
Aspexit placido me Dea lumine:  
Membrorumque redit vigor:  
Et iam cura minus me premit anxia,  
O qua numine blandulo  
Corpus languidulum, Diva SALVS, beas:  
O morti quoque frigida  
Discussura graues, si libeat, metus:  
Totum muneris hoc tui est:  
Quod cæli intueor viuificum jubar:  
Fungens munere pristino.  
Quod vino, & valeo (sic valeam) tuum est.

V.

D. VVolfango Henrico  
Streinio, Baroni Schuarzenauio.

Sana valetudo, mens sana est optima rerum:  
Corporis illa anima est: hæc animæ est anima.

VI.

Ad Deum Optimum Max.

Qui solus mea FORTITVDO, qui que  
SALVS, & mea LAVS, DEVS, fuisti:  
O voti quid agam reus? quid ò quid  
Pro vita mihi reddita rependam?  
Quo te demerear mihi vicissim  
Gratus munere? Non honore thuris

A 3 Te,

ISNIEFU  
scala



*Te, succòue colam ipse nunc amomi,  
Aut costo: tibi mens placere grata,  
Et constans pietas, fidesque semper  
Inculcata solet. Sit ergo sit laus,  
Sit & gloria nunc tibi perennis:  
Mundi maxime rector, arbiterque:  
Solut quòd mea fortitudo, quodque  
Salus, & mea laus es omne in ænum:  
Totum me tibi dedico vicissim,  
Voti nempe reus, sacroque totum.  
Dum viuo hìc, animus meus, simulque  
Mens mea, atque anima, ò DEVS, membra  
Cor, & pectus, & os, & ipsa lingua,  
Et quicquid mihi sensuum dedisti:  
Vni seruiat optimo parenti:  
Cui me viuere, vel mori necesse est.*

VII.

*Ad Rupertum à Stozin-  
gen, EQ. Cæs. Confil.*

*Vita quid est? iter ad mortē. mors proxima vitæ.  
Viuus homo sensim, dum loquitur, moritur.*

IIX.

*Ad D. Iulium Comitē S.  
ma, & Neoburgi ad Oenum, Cæs. Confil.*

*Ipsa dies quandoque parens, quandoq, nouera  
Longaque fors vitæ nulla sub orbe manet.*



Inque vicem cedunt semper dolor, atq; voluptas:

Alter & alterius sic comes esse solet.

Post Zephyrum flat vt Eurus: & vt post nubila  
(Phœbus

Fulget: & vt sequitur festa, profesta dies.

Sic dolor ille tuus ne sit flagrantior æquo

IVLI: filioli quem dedit atra dies:

Gaudia præmissum releuant inopina dolorem:

Quæ dat filiolæ Iusticus ille dies:

Quo magni patris, & matris magnæ inclyta proles,

Fit Christi soboles, fonte renata sacro.

Sit precor, ANNA, diu cœlesti plena fauore

HELISABE, requies sit quoq; cara Deo:

Quodq; habet, hoc habeat, Dijs æquis, nomē vt omē:

Plena det vt matri gaudia, plena Patri.

IX.

D. Adamo Kitlizio, Ba-  
roni Silesio.

Quantum quisque sibi vitæ furatur, ADAME,

Tantum, nec sibi plus, crede, lucratur homo.

X.

Ad D. Ioan. Gothardum  
Streinium Baronem Schuar-  
zenauium.

Vnus terminus, vna meta vitæ est

STREINI, mens bilaris, beatioris:

A 9 Si



*Si quæ Bacchylidæ fides habetur.  
Mens si læta sit & quieta: florem  
Conseruat viridem diu iuuentæ:  
Et corpus vegetum, ac salubre reddit.  
Mens si mœsta sit, & dolens: iuuentæ  
Depascit viridem repentè florem:  
Et corpus lacerat, necatque sanum.  
Cossus ligna vorat: volucra vites  
Fruges curculio: midas legumen:  
Seps cornu: tineæ, atque blatta libros:  
At cor sollicitum, ossium teredo est.*

XI.

*Ad Ioannem Sambucum*

*Cæs. Historicum & Confiliarium.*

*Tristitiæ, SAMBVCE, mederi nouit amicus  
At morbo medicus: fidus vterque comes.*

XII.

*Ad Ioannem Posthium*

*Archiatrum VVurzeburgium.*

*Ex Cornelio Celso.*

*Qui benè, IAN E valet: nullis sese obliget  
Legibus: at spontis sit, maneatque suæ.  
Quod sapit, hoc comedat: quod non sapit, ille  
(lingua  
Iamque foris, & jam gaudeat esse domi.*



Sed magis ipse foris, & in agro gaudeat esse:  
Et, quod sit membris vile, semper agat.  
Sive feras visco fallat, catuloque sagaci  
Setetur: remo seu breue carpat iter:  
Seu potius colat arua, vel hortos conferat vltro:  
Quicquid agat, potius, quam requiescat, agat.  
Tempestiua quies iuuat, intempestaque ledit  
Corpus: sic prodest plus requiete labor.  
Illa senectutem maturam, IAN E, iuuentam  
Sæpius hic longam, floridulamque facit.

XIII.

Ad Henricum Porcium.

Quæris, quæ podagræ medicina sit optima,  
(PORSCHI,  
Paupertas, animi vel bona temperies.

XIV.

Martino Rulando Med.

Ex Philemone.

Aeger ubi medicum videt, haud dolet amplius:  
Corde facit, præstò si sit amicus, idem. (aeger

XV.

Ad Laurentium Gualtherum  
Cuchelium Medicum

Vlmensem.

A 5 Dum



*Dum canis Icarus terras allatrat, & astra:  
Squallentesque feris ignibus vrit agros:  
Cur medicaminibus iam me, G V A L T H E R I.*

*Quod reliquum est, patiens si fero, vinco malis  
Sub cane, & ante canem medicus malè dira prop  
Pocula: tempus habet sic medicina suum.  
Sic me dum tædet medicina, curo diæta.  
Nam medicina quies, atque diæta bona est.*

XVI.

*Ad Danielem Scepsium  
Medicum.*

*Facetus ille, clarus & scientia,  
Fons Philosophorum, Socrates:  
A potibus, sanos futuros, & cibis  
Sibi cauere vult malis:  
Qui nec siticulosos bibere forsitan,  
Nec esuritores iubent  
Comedere, S C E P S I. læta namque sanitas  
Superfluum omne respuit  
Contenta paruo: nec voluptati obsequens  
Plus, quàm necessitudini.  
Sic Gorgias Leontinus se tam senem  
Factum esse gloriatus est:  
Comedendo nil, aut faciendo nil vspiam,  
Causa voluptatis malæ.*



XVII.

Ad Iacobum Monauium,

E Menandro.

*Multa capit venter: capit idem pauca MONA-  
Quod satis est, venter qui capit, ille valet. (VI:*

XIIX.

Ad Genium. Dialogus.

*Dine GENI, quæ fers hilaris mihi dona? papauer,  
Et spicas hilaris dona, botrosque fero.*

*Cur tria dona feram? sunt vitæ symbola vestrae*

*¶ Hæc tria: quos sopor, & potus, & esca iuuat.*

*Te fas ergo, GENI, somno placare vicissim,*

*Et vino, simul & sit mihi queso cibo.*

XIX.

Io. Baptistæ Cratoni, Io. F.

Ex Pythagora.

*Sit potus, somnique tibi mensura, cibi que,*

*Iusta CRATO: sis vt corpore sanus homo.*

XX.

Ad Carolum Rechlinge-

rum C. VV. F. Patr. Aug.

*Plus obsunt homini, quàm profunt, CAROLE,  
Cupedia ciborum. (sano*

*Quippe voluptatis fines dum longius vsu*

*Sic promouent: subinde*

*Corrumpunt*



*Corrumpunt, vitiant que, quod utile, quod que*  
*Sic quisquis esse sanus* (lubre e)  
*Postulat: is caueat semper cupes esse: malignus*  
*Mage, quam sibi benignus.*

XXI.

Ad Paulum Hesium Med.

*Potus, & esca boni sunt pabula corporis: atque*

*Pabula sunt eadem corporis, HESSE, malis*

*Cur ita? nam vitijs simul hæc alimenta ministrant*

*Corporis: & membris dant alimenta suis.*

*Potus, & esca iuuant, si sunt moderata: malignis*

*Ne patiare famem, neu patiare sitim.*

*Potus, & esca nocent velut immoderata, malignis*

*Si patiare famem, vel patiare sitim:*

*Aut si, PAVLE, bibas, vel edas, moderantur*

*Ante famem, succi plenus, & ante sitim.*

XXII.

Ad Petrum Monauium

Medicum Cæs.

*Qui valet, hic diues satis est: nec copia quicquam*

*Regalis maius, PETRE, quod addat, habet*

XXIII.

Ad Bonam Valetudinem.

*Sancte VALETUDO, vitæ thesaure: inuentus*

*Cui comes est: fertum hoc Diua benigna capere*



*Casta Iouis mensam verrit verbenæ: domusque  
Lustrat: & innumeris fit medicina malis.  
Sic te verbenæ sertum decet: accipe quæso,  
Si liber: & morbos Diua repelle procul.  
Diua faue: nec quæ sibi morbus sæpe fit ipsa:  
Sit duplex morbus, longa senectæ mibi.  
Morte mori melius, quàm mortis ducere vitam:  
Et membris animum sic sepelire suis.*

XXIV.

E Græco.

*Lata iuuenta vale simul, & tu mæsta senectæ:  
Cur? ruit hæc subitò: sed fugit illa citò.*

XXV.

Ad Paulum Melissum

EQ. & Com. Pal.

*Merx ætas mala: nam secum mala plurima portat.  
Cur tamen emptores merx habet illa suos?  
Quisque senex optat fieri: moriturque libenter  
Nemo: sit vt lux hæc cara cuique Dei.  
Esto, PAVLE. diu sed viuitur, vt benè forsan  
Viuitur: & mors est sic quoque flenda minùs.  
Qui se victurum semper putat, is malè viuit:  
Nam vita fruitur tardiùs ipse sua.*

XXVI.

Ad Abrahamum Mannam

S. Th. Antist.

E. Menan.



E Menandro.

Qui nundinas vitam dixit, dixit bene.  
Mercatus hic est, & mercatorum frequens  
Conuentus: aleatores, fures, plani  
Sunt hic item. quid tum? si primus hinc abis.  
Melius bono diuertis cum viatico:  
Insensus haud cuiquam forsan mortalium.  
Sin immoraris longius: fessus peris  
Tandem: malisque consensescens, indiges  
Modò hac, modò illa re miser. quid? quod malis,  
Curisque tot vexatus, ac laboribus,  
Hostes suos quisque inuenit: quorum dolos  
Sæpe experitur, atque iniurias graues.  
Quòd si iam in hoc ventum sit, MANNA, <sup>secu-</sup>  
Inauspicata morte tunc defungitur. (lum.  
O nundinas malas! ô vitam ludicram!

XXVII

E. Græco Lucilij.

Quid mortem gemis? aut quid fles jam morte per-  
(emptor?  
Fle potius, mortis quos necat vsque metus.

XXIIX.

Georgio Mylio S. Th. D.

Qui iuuenis moritur, lucratur plurima. namque  
Plurima sic ludit fata maligna, MYLI.



*Sed fati tamen hoc opus est fortasse benignum:  
Nam iuuenis moritur, quem Deus æquus amat.*

XXIX.

Ad Henricum Stephanum.

*Mors mea ne careat lacrymis, aut fletibus opto:*

*Atticus ille Solon sic moriturus ait.*

*Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu*

*Faxit: sic mauult Ennius ipse mori.*

*Nec jubeo lacrymas mihi, nec veto soluere quen-*

*Ni pietas forsitan iusserit hoc, vel amor. (quam:*

*Aut non est opus hoc: aut non iuuat, ilicet aret*

*Lacryma: sic hæres quum bona captat iners:*

*Cen vultur præsentit edax, HENRICE, cada-*

*(uer:*

*Proximus hunc inhians vult spoliare nepos.*

XXX.

Modestino Reymanno Io.F.

Ex Laërtio.

*Vita quid est? homini misero dolor: atque beato*

*Lætitia: vtrique mortis expectatio.*

XXXI.

Ad Somnum.

*Somme meæ vitæ portus, rerumque voluptas:*

*O lucis simul, & noctis amice comes.*

*Quod*



*Quod fessum placidus, pauidū quod lenis, cor  
Me refoues: animi pax, requiesque mei.  
Accipe, quæ tibi do cum thure papauera flammam  
Et cornu reple terque, quaterque tuum.  
Quodque soles, oculis irrorata quæso quietem.  
Pacator luctus sis, domitorque mei.  
Sic tibi Pasithee det basia mille: papauer  
Sic tibi fecundum seminet omnis ager.*

XXXII.

Melchiori Iægero

Cons. VVirteb.

*Non magis est mortis, quam vitæ somnus vitæ  
Nam sopita Deo, mens sibi viua manet.*

XXXIII

In Cræsum.

E Græco Aristotelis.

*Dimidium vitæ somno datur, atque sopori:  
Par et in hoc spacium diues, inopsque  
Sic tibi CROESE, licet regum ditissimus esset  
Dimidio vitæ par fuit Irus inops.*

XXXIV.

Hieron. Reymanno, IC

E Platone,

*Aegro voluptas vt salubris est nulla:  
Intemperanti sic bona haud voluptas est.*

Andre



XXXV.

Ad Ioan. Christophorum

Lucium Consil. VVirteberg.

*Dum sapit, & prudens est mens: sibi temperat,  
Spernit voluptates malas, (atque  
Quòd si præstigijs quasi mens sopita fatiscit:  
Insanit, atque desipit.*

*Luxuriam comitem tunc imprudentia, LVCI,  
Blandum sibi malum vocat.*

*Sic mentis perit ipsa salus. moderatio quippe  
Mentis salus est vnica.*

XXXVI.

Nicodemo Frischlino.

*Qui malè rem gerit, hic insauus, cætera sanus  
Sit licet: at benè qui, sanus habetur homo.*

XXXVII.

In Valentium.

*Corpore quò valeas: facis omnia fersque VA-  
(LENTI:*

*Vt valeas animo: fers nihil, atque facis.*

*Sanctior hæc pars est, diuinæ portio mentis:*

*Et precium pars hæc corpore majus habet.*

*Si Corpus sanum, si mens insana sit: an non*

*Languet, & est totus sic malesanus homo?*

*Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano:*

*Aut saltem mens vt sana sit vna tibi:*

B Ad



XXXIIX.

Ad Hadrianum Iunium.

E Plutarcho.

*Mortales sibi mancipans voluptas  
Fera est: at fera non fit efferata:  
Sed mansueta, cicurque. nam palam si  
Pugnet: mox capiatur illa. sed quum  
Sese dissimulet feram: benigna  
Vultu, subdola fronte, blanda verbis:  
Hoc inuisa magis, magisque IVNI  
Excrabilis hæc fera est voluptas:  
Et quod sic nocet, & quod ipsa fallit.*

XXXIX.

Conrado Læto IC.

*Si cui contingit robur sine mente: sepulcrum  
Ipse sibi, aut viuū, LÆTE, cadauer homo.*

XL.

In Attalum.

*Quid maceras corpus fame, si mens ATTALUM*

*Plena tumet? quid vult spiritus iste minas  
Sis parcus vini licet: est malè sobrius ille:  
Ebria cui fastu mens, odioque manet.*

XLI.



Ex Italico Fr. Petrarchæ.

Pluma, Venus, venter virtutem pellere mundo,

Res otio plenæ, solent.

A cursu natura suo sic prorsus aberrat,

Amore perdua improbo.

XLII.

Ad Iustum Lipsium.

Otia qui sequitur fugit ille negotia: vitam

In otio frustra reponens optimam.

Otia qui fugitat, subit ipse negotia: vitam

In otio semper reponens pessimam.

Hoc sapiens, stultus facit illud. nam verus est vox:

Nil agere, semper infelici est optimum.

Quid? quod plura sibi fugiendo negotia sæpe

Facessit: vti quando nescit otio?

Nam qui spontè gerit commissa negotia vitæ:

In otio potius est, quàm in negotio.

Fit quasi meus amens: nimium si, IVSTE, quie-

O mens beata, cui vita est, Deo frui. (scit

XLIII.

Ad Adolphum Occonem

Medicum.

Qui sibi viuit, agit que nihil: non viuit ADOL-

Ast alijs moritur, commoriturque sibi. (PHE:

Namque homo tempus iners simul, et se præterit

Sic piger est viuū nempe cadauer homo. (ipsum:

B 2 Iere-



XLIV.

Jeremiæ Martio Med.

Augustano.

*Vt viuas, sic esse decet: non viuere MARTI  
Sic, vt edas: placet hæc sobria vita DEO.*

XLV.

In luxum Germanorum

*Plus olim pro pane tibi Germane placebat:  
Nec panis, nec jam puls tibi sola placet.  
Silua tot innumeris elephantis sufficit vna:  
At tu vix terra pascaris, atque mari.  
Sic inamareseunt epulæ sine fine peritæ:  
Et morbot multos fercula multa ferunt.*

XLVI.

Ad Gasp. Croparium P. L.

*Principium vitæ G A S P A R, sunt panis & vinum  
Cum fluuio Persis sat fuit alma Ceres.  
Aurea sic glandes sapidas benè reddidit etas:  
Cum fame: cumque siti vix benè fontis aquas  
At nunc omne genus pecudum sepelitur in istis  
Ventricibus: immensus quotquot hic o'bis balat  
Sine natant pelago, seu terra fortè vagantur.  
Aëre siue volant: seruit id omne gula.  
Sic virtus omnis perit, & sapientia vitæ:  
Cui cum ventre malè conuenit, atque gula.*  
Steph



XLVII.

Stephano Endorfero

Patr. August.

*Quam bene cœnabis pulmenta laboribus empta:  
Condimenta cibi sunt labor, atque fames.*

XLIIIX.

Ioanni Ebano Med. Pal.

Ex Hippocrate.

*Si nec cibo multum satur: nec feminis  
Sit IANE, prodigus sui:  
Nec ad labores impiger: sanus diu  
Manet homo, teste Hippocrate.*

XLIX.

Marco Peifero Med.

*Majorem qui MARCE famem se retur habere,  
Quam ventrem: miser hic, & malus esse potest.*

L.

In Pomphilianum.

*Que paruo sumi nequeunt, obsonia captas:  
Nec cœnam, nisi quæ sit saliaris, amas.  
Ingeniosa gula est: lautæque cupedine mensæ  
Sæpe grauem renouat per sua damna famem.  
Qui Christum quærit, non ille cupedia quærit:  
Sed fesci mauult, cum sale, pane nigro.*

B 3 Nanque



*Namque parum curat, stercus sit quale: quod ipse  
Conficit ex laucis Pompiliane cibis.*

L I.

Ioan Hesso Theologo.

Ex Seneca.

*Tristitiam fuge, si potes: aut si non potes, HESSE  
Dissimula: ne sis hostibus ipse probro*

L II.

E Græco Menandri.

*Malis homo quum obnoxius sit plurimis:  
Tristitia longè maximum est vitæ malum.  
Suapte vi, maius duplo reddens malum.*

L III.

Ad Raymundum Pium

Fichardum Iurisc.

*Si læsus PIE, non lædas, sed spontè remittas:  
Nec noceas, læsus quando nocere potes:  
Magna tibi fuerit laus hæc, et gloria magna:  
Vis est, non virtus, lædere si qua parat.*

L IV.

Hieronimo Reusnero

Leorino.

*Pulcra dies byemis, fit inops, HIERONYME  
Ops virtutis egens, fit sine Sole dies, (virtus)*



L V.

Ad Paulum Constantinum

Phrygionem Med. VVirteberg.

*Omnes debemur morti: nec dicere quisquam*

*Sic aufit: viuam cras ego, PAVLE, mihi.*

*Cur hodie minus ergo sibi ( si viuere tandem*

*Vult sibi) cur inquam non sibi viuit homo?*

*Sera nimis nimium cupidis est crastina vita:*

*Viue hodie, si vis viuere, PAVLE, tibi.*

*Viue tibi: sed viue Deo simul, vt bene viuas:*

*In quo cras, & heri non minus est hodie.*

LVI.

E Græco.

*Quum tu morte mea sis latus: forsitan alter*

*Morte tua, metuis quam malè, latus erit:*

LVII.

Epitaphium.

E Græco.

*Mortuus hic te nunc moror, hospes: tuque moraris*

*Sic reliquos: omnes vna moratur humus.*

LIIIX.

Ad Ioan. Fridericum

Hainzelium, Patr. Aug.

E Timocle.

B 9

Laborio



Laboriosum animal, dum viuit, est homo:  
Mulinmque secum vita adfert molestia.  
Vnum hoc doloris est tanti solatium:  
Quod mens, aliena quum cernit mala, jam sui  
Oblita fit prudentior tandem mali.  
Si pauper est, se pauperiorem Teledum  
Agnoscit: & jam pauper est libentius.  
Sin aeger, agrum cernit hac Alcmaeonem:  
Si lippus est, caecum intuetur Isyphum:  
Si claudus, inspicit Philoctetem: senex  
Si forsitan infelix, cognoscit Oeneum:  
Sin orbis est, Niobe dolores huic leuat.  
Sic cogitatio alieni semper mali  
Lenit suum cuius infortunium.  
Ceu nauta fert casum, & procellas aequior:  
Qui mille ponto naues obrui videt.  
Malum suum intueri, si nemo mali  
Sit socius, ingentes dolores hoc facit.

LIX.

Ad Petrum Vincentium.

Qui mala fert male, PETRE: bisque dolore  
(mala h

Fit miser: at mala qui fert bene victor abis.

LX.

Dauidi Besserero Theol.



*Qui benè numen amat, benè credit hic, & benè spe-  
Spes homines seruat nempe, fidesq̄ beat. (rat:*

LXI.

*Ad Georg. VVirthum Med.*

*Aegrum si medicus cessat curare, GEORGI,*

*Desperat, medici par quoque cura Dei est.*

*Quos amat, hos curat: quos curat, visitat: & quos*

*Visitat, affligit sic, cruciatq̄ Deus.*

*Segnius hos curat, quos odit: parcat eisdem,*

*Supplicio pœnas vt grauiore luant.*

*Iudicat at sanctos hic, ne malè iudicet illic:*

*Sed plena secum prosperitate beet.*

LXII.

*Ioan. Ludouico Hain-  
zelio Patr. August.*

*Quis poterit cœlum pariter, terramq̄ tueri?*

*Sic mundi simul haud est amor, atque Dei.*

LXIII.

*Ad Abrahamum Caz-  
beggium à Turenstain.*

*Quò melior cunctis Deus est, plus debet amari:*

*Qui bona quærit, amet sic, ABRAHAME,*

*(Deum.*

LXIV.

B 5 Ad



Ad Theodoricum Hessum

Ioann. F.

*Qui captat, quod non capiat: frustra ille laborat*

*Ac se cum probro decipit ipse suo.*

*Te committe Deo: quod non capis, HESSE,*

(mittit)

*Scire quod hoc nequeas, sit tibi scire satis.*

*Sobria nam virtus placet, & sapientia: qui scit*

*Omnia (crede mihi) scit nihil ille sibi.*

LXV.

Michaëli VVirtho IC.

*Pransus non auidè, cœnabis suavius inde:*

*Obsonat ille cœnam,*

*Qui satur esse potest, obsonia magna ciborum*

*Fames & sitis, laborque.*

LXVI.

Ad Aldum Manutium,

Pauli F.

*Quos fortuna fouet, fauet his minùs: ipsa beatus*

*Quos priùs, hos miseros iam magis, ALDUM*

(facit)

LXVII.

Ad Hartmannū Hartman-

ni Eppingenum Conf. Elect. Pal.

*Consilium si vis? sapientes consule noctes:*

*Consilium dat nox prouida sæpe bonum*

No



Nam bene consilium capias vt pectore prudens:

Mente opus est vacua, sollicitaque mora.

Euphrona sic nox est, HARTMANNE, vo-

(cata poëtis:

Maxima quæ Charitum sit soror vna trium.

Qui se præcipitat, res hunc quoque forsitan ipsa

Præcipitat: lente consule, facque citò.

LXIIII.

Paulo Ienischio August.

Libera mens vt sit, curas fuge: nec fuge curas

PAVLE tamen: ne sit mens vitiosa magis.

LXIX.

Ad Daniele Herman-

num Borussum.

Qui frugi sibi nescit imperare

Vitam: nominis is sui, suæque

Sortis prodigus est, suæque vitæ.

Sic est quisque faber sui, suæque

Fortunæ, DANIEL, suæque vitæ,

Nominisque sui boni, maliue.

LXX.

Rudolpho Bonriedero IC.

Non beuè conueniunt regnum pietasq; RODOL-

Abstineat regno, qui volet esse pius. (PHE:

Ad



LXXI.

Ad Dauidem Chytræum

S. Th. D.

*Custos virtutis pudor est, & fidus honoris*

*Aßecta. sed pudor est semper, vbi metus est.*

*Si metus omnis abest, & abest pudor: inde CHY.*

(TRÆE

*Ius, pietas, virtus, laus, honor omnis abest.*

LXXII.

Vito Kirchbauero Theol.

*Qui vitium vitat, virtutem VITÆ, & apestis:*

*Quæ vita dignos nos meliore facit.*

LXXIII.

Andreas Lopadio.

E Græco.

*Prudens canities, aut si prudentia cana est:*

*Maxima laus hæc est, & decus omne senis.*

LXXIV.

Ad Ioannē Lauterbachii.

*Qui facilem querit vitam, sibi IANÆ labore*

*Comparat hanc. sic est viuuda vita, labor.*

*At contra labor est, ignauia: quippe laborem*

*Dum fugit: hunc vir iners inuenit pfe sibi.*

LXXV.



Georgio Florschuzio Med.

*Si quis debet: & unde det, GEORGI,*

*Nec scit, nec videt: insepulta mors est.*

*Nam debere nihil, beata vita est.*

LXXVI.

Ad Carolū Vtenhouiū C. F.

*Quod fortes Fortuna iuuat, Fortuna vocatur:*

*Fortis Fortunam fert benè nempe suam.*

*Virtuti fortuna comes. qui filius esse*

*Fortunæ gaudet, CAROLE, fortis erit.*

LXXVII.

Hieronimo Fabro Med.

*Ignarus medicus, FABER, est fortuna: fatetur-*

*Chilon: excæcat, quos fouet ipsa, magis.*

LXXIIX.

Ad Christophorum VVol-  
fium Annæmontium.

*Nemo repente bonus, malus aut fit nemo repente:*

*Namque bonum labor est esse, vel esse malum.*

*Multum cura potest, multum meditatio, multum*

*Vsus, nam res hæc cuncta domare solent.*

*Sed facilis tamen est, VVOLFI, descensus*

*(Auerni:*

*At renocare gradus hoc opus, hic labor est.*

*Ad*



LXXIX.

Ad Marcum Thenniū Aug

*Qui citò consilium capit, & citò iudicat: ille*

*Ad pœnitendum, cum malo.*

*MARCE, suo properat. mora nam tutissima*

*Deliberare est optima.* (semper)

*Consilio superat cunctantior alter: at alter*

*Cursu anteit velocior.*

*Quicquid agis, prudens age, MARCE: dirige*

*In mente, quod statuas semel.* (voluntate)

*Nam neq; decipitur ratio, neque decipit vnquam*

*Prudentiæ dux optima.*

XXC.

Petro Contadino,

E Græco.

*Iustitiæ vindex oculus videt omnia. nec clam,*

*Mec studeas cuiquã, PETRE nocere palam.*

XXCI.

Ad Simonem Simo-

nium Medicum.

Ex Democrito.

*Multum latari, minimumque dolere SIMONI*

*Sic reor, hæc medicis optima vita placet.*

*Vt minimum doleas, facit istud spreta voluptas*

*Multum vt lateris, mens pia sola facit.*

Micha



XXCII.

Michaëli Bartho Med.

*Aut brevis est dolor, aut tolerabilis: vna doloris  
Spei est, quod valdè nemo, diuque dolet.*

XXCIII.

Ad Petrum Albinum

Niuemontium.

*Quid mala, PETRE, feram malè? nam benè rem  
(gero: rectè*

*Si vel agam: superem vel patiendo malum.*

*Sic præter culpam nihil est mihi fortè timendum:*

*Qui culpa summum duco vacare bonum.*

XXCIV.

VVolfgango Rechlin-

gero, C. VV. F. Patr. August.

*Mortuus est, qui viuit iners: similisque sepulcris*

*Viuis adhuc retinet nil, nisi nomen, homo.*

XXCV.

Ad Iosephum Scalige-

rum, Iul. Cæs. F.

*Nec sibi, nec patriæ, nec amicis commodus esse*

*Qui studet: huic viuo mortua vita placet.*

*Quem neque Sol æquus videt: & quem terra IO-*

*(SE P H E*

*Fert grauitè: tanquàm crimen, onusque suum.*

*O quan-*



*O quantum est seruire Deo, patriæque, sibi que.  
Et sibi quos sociat vita, vel ipsa fides.  
Tu facis hoc: pater ille tuus, quum viueret,  
Fecit idem: patris sic tibi sanguis inest.*

XXCVI.

In Thrasonem.

*Stultitiæ fit præco suæ iactator, & alter  
Histrio. nam taceas si, Thraso, nullus eris.*

XXCVII.

Ad Ianum Doufam

Nordouicem EQ.

*Communis ceu terra parens est omnibus vnus:  
Vnus sic pater est omnibus ipse Deus.  
Cur non vna fides, & amor nos copulet vnus?  
Namque parens nobis terra, pater Deus est.*

XXCIIIX-

E Græco.

*Ah quid vane geris fastus homo? puluis, & vna  
Aut nil. major eris, si nihil esse potes. (br)*

XXCIX.

Ad Paulum Fabriciũ Med

*Viuerè, nec vitæ curam melioris habere:  
Non vna est anima viuerè PAVLE sibi:  
Sed gemina. vitam qui curat, viuit is vna  
Saltem anima, redit haud, quũ semel illa perit*



XC.

Ioan. Iacobo Hainzelio

Patr. Aug. E. Græco.

*Qui valet, & benè habet, brevis huic fit vita: sed*  
(aegro,

*Qui malè habet, noctes nox facit vna decem.*

XCI.

Ieremiæ Reufnero

Leorino.

*Si vita est, animæ vigor, laborque:*

*Mors est, orium, & ægritudo vitæ.*

XCII.

Ad Nathanem Chytræum.

*Par regi, famuloque venit quod somnus: & a quo*

*Diuitis, ac inopis sic pede recta subit:*

*Sic genus humanum lentam vult discere mortem:*

*Cuius amat dici frater, & esse sopor.*

XCIII.

Laurentio Drechslero

Conc. Palat.

*Si, nisi qui virtute sua volet esse beatus,*

*Nemo beatus erit, nemo beatus erit.*

XCIV.

In Aulum.

C

E Græ-



E Græco.

*Pauperis est tibi mens, sed opes sunt diuitis,  
Hæredi diues, pauper es hercle tibi.*

XCV.

Ad Ioannem Braſtbergum

Jurisc. & Cancel. VVirteberg.

*Vna dies, similis vitæ sit: & hora, diei,*

*Aut horæ similis sit quoque vita tibi.*

*Sic similis tibi semper eris: æquabilis omni,*

*Atque sui similis, tempore vita placet.*

XCVI.

Ad Iacobum Maripetrum

Patr. Venetum.

*Qui propter Christum miser est: magis ille beatus*

*Quàm miser est: Christo, vita beata, frui.*

XCVII.

Ad Thomam Eraſtum

Medicum. Allusio E Græco.

*Si mors haud dolor est, sed finis, ERASTE,*

*Cur dolor est, mortem quum bene finit homo*

*Quin dolor est potiùs, mortem expectare: dolor*

*Finit, lætitiã morte lucratur homo.*

XCIIX.



Matthæo Frobenio

Leorino.

*Mors est præueniens, aut mortis tela senectus:  
Felix, quam virtus ornat, & alma fides.*

XCIX.

Ad Erasmum Neusteterum

cog: Sturmerum EQ. FR.

Ex Plutarcho.

*Nec blandius vitæ, nec est diuinius  
Sanitate condimentum.*

*Nam vita si quid vel mali, vel amari habet,  
Sanitas hoc omne condit.*

*Sic optimum vitæ bonum fit sanitas:  
Sana mens, corpusque sanum.*

C.

Hymnus in Sanitatem.

Tanquàm ex hymno Ariphtonis  
Sicyonij apud Athenæum.

**O** SANITAS, deorum  
Dea maxima, ac dearum:  
Vitæ vna, & vna mentis,  
Ac corporis voluptas.

C z O Dina.



O Diua, si quid aui  
Supereſt: mihi deinceps  
Sis fida quaeso conſors.  
Lucrum mihi ſit vnum,  
Placida quiete tecum  
Si commorer beatus:  
Et ſic tibi inſeneſcam.  
Ne moriar ante mortem:  
Cui viuere ante vitam  
Fas haud fuit caducam.

Age Diua, Gratiarum  
Nutrix, cupidiniſque,  
Blandaeque Voluptatis,  
Et Fauſtitatis almae:  
Ades o benigna: meque  
Sinu foue beato.

Nam gratiae quod uſquam  
Ineſt, vel almo Amori:  
Veneriue, Liberoe,  
Cereriuē: ſiue tandem  
Regnis, honoribusue,  
Opibusue, liberisue:  
Quae vulgus imperitum  
Solet aeſtimare magna:  
Aut ſi qua maior vlla.  
Homini data eſt voluptas:  
Caeleſtis illa donum.



Patris : quies laborum :  
Alumna gaudiorum :  
Tecum omne floret inquam,  
O SANITAS beata :  
Tecum, Dea alma, fulget  
Ver dulce Gratiarum :  
Mortaliumque nemo  
Sine te fuit beatus.

I A M porro quid Camæna  
Tibi, chelysue nostra  
Cantillet, audi amabo  
O SANITAS beata.

Sine te, Dea ð venusta,  
Venus fit inuenusta :  
Nec est magis cupitus  
Cupido : Gratiæ sunt  
Ingratæ : & ipse Liber  
Illiberalis. Immo  
Sine te, D E A, insalubris  
Salus : & inquieta  
Quies : & impacata  
Pax : Faustiasque vitæ  
Infauſta : Amœnitasque  
Inamœna : suauitasque  
Insuanis : & voluptas  
Haud est magis voluptas.

Sine



*Sine te, Dea ô serena,  
Serenus inferenus,  
Impurus, ipse purus,  
Intemperatus atque  
Fit, temperatus aër.  
Iocus iniocundus: omnis.  
Insulsa falsitudo:  
Incerta certitudo:  
Ineptaque aptitudo.*

*Sine te Dea ô modesta,  
Modus immodestus omnis  
Pudor impudens: & ipsa  
Infirma firmitudo:  
Instrenua strenuitas:  
Audacia est inaudax.*

*Sine te, Dea ô benigna,  
Benignus est malignus:  
Pudicus impudicus:  
Facetus infacetus:  
Disertus indisertus:  
Facundus infacundus:  
Fœcundus infœcundus:  
Rudis eruditus: atque  
Cordatus ipse vacors:  
Armatuſ est inermis.*

*Sine te, Dea ô perita,  
Ars est iners: nefas fas:*



Par impar: indecorum  
Decorum: & æquum iniquum:  
Imbelle bellum: jusque  
Injuriū fit omne.  
Infanda fanda: festa  
Infesta, vel profesta.  
Sine te, Dea ò decora,  
Decor indecor: leporque  
Illepidus omnis: atque  
Deformis ipsa forma:  
Et decolor color fit.  
Vires & euirata:  
Inopes opes: & omnis  
Est impotens potestas.  
Sine te, Dea ò colenda,  
Incultus ipse cultus:  
Immundus ipse mundus:  
Honor inhonorus: atque  
Laus illaudata: fama  
Infamis: incelebris  
Celebritas: gloria ipsa  
Ingloria: dignitasque  
Indigna nobilitasque  
Ignobilis. quid aio?  
Sine te, Dea ò beata,  
(Quis credat istud?) amens  
Mens hominis est: cor excors:

Sensusque




*Sensusque sensus expers:  
Inanima anima: atque pectus  
Expectoratum: & ipsum  
Caput incapax: odorque  
Inodorus: insipidusque  
Sapor: inauritaque auris:  
Inuisus ipse visus:  
Immotus ipse motus:  
Insomnis ipse somnus:  
Concordia ipsa discors.  
Quid multa? vita mors est:  
Læticia ipsa lethum:  
Vivumque sic cadauer  
Fit homo: vel insepultum  
Sine te sibi sepulcrum:  
O SANITAS beata.*

FINIS.


ERRATA.

A. 4. B. vers 18. pro celfo lege celfo. A. 8.  
vers 16. pro inopsq; lege inopsq; tener.  
B. 1. b. vers 10. pro excrabilis, lege execra-  
lis. B. 2. b. vers 6. pro plus, lege puls. B.  
b. vers 20. pro Petre bisq; dolore fert ma-  
bis, lege. fert mala bis, PETRE, bisq; dolo-









REUSNE  
opusculu









REUSM  
opuscula















Th

5859